

Bibliothèque numérique

medic@

**Frigard, Guillaume-Pierre - candidat /
Lelaumier, Etienne-Pierre - président.
- [De uteri obliquitate]**

1762.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°86



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)


Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0086



ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO DOMINO
 ANNÆ-LUDOVICO-ALEXANDRO DE MONTMORENCY
 PRINCIPE A ROBECCQ,
 UNIPRO CERUM E PRIMA CLASSE MAJORATUS HISPANI,
 PRIMO GALLIÆ CHRISTIANO BARONI,
 COMITI A BUCHOVEN ET SACRI IMPERII ROMANI,
 CASTRORUM ET REGIONUM EXERCITUM PRÆFECTO,
 URBIS BUCCINII IN HANNONIA GUBERNATORI

Hæc Theses in perpetuum reverentiæ & obsequii monumentum dicat, vovet, consecrat humillimus &
 obsequentiſſimus ſervus GUILLELMUS-PETRUS FRIGARD, Chirurgiæ Candidatus.





ANATOMIA UNIVERSITATIS MONACENSIS
ANNO 1773
LUDWIG VON BERNHARDI
DE ANATOMIA UTERI
ET VAGINAE
DICTIO
P. 1



T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

QUANTASCUMQUE vires, ut sua perficiat, aut perfecta tueatur opera, adhibeat Natura vigil, extraneam tamen mutuari opem nimum sæpè cogitur. Ubinàm enim molimen majus, quonam in casu sapientiam magis absconditam & spectatiorem edit, quàm Hominem luci commissura? Quantà arte per longum temporis intervallum omnia disponit! Quàm simplex in specie! Sed quàm compositus ad id apparatus! Sagacitate tam eximiâ tutum & constans ad vitam homini parari iter, paratumque confirmari videtur. Felices equidem plurimi, quasi uno passu, illud spontè peragant; quidam è contrà vix illud subeunt, cùm naturæ impensas minimè agnoscentes, ab arte solâ, (quidquid & ipsis, quidquid & parturienti immineat periculi) pertinaciter pulsantes, exitum quærunt. Tunc audit Chirurgia, jam adest, res in ordinem redigere conatur; Anatome fulta, Physice irradiata, Mechanicis instructa, nihil omittit ut naturam succumbentem sublevare queat. Artem salutiferam sic elaborantem passim & ubique sequi, opus perutile & humanitatis dignissimum, laboris tamen diuturnioris quàm ut intra disputationis veluti momentaneæ angustos limites adimpleri queat; nobis ergo liceat unicam tantummodò feligere ansam, Uteri nempe Obliquitatem.

Nihil aliud est uterus quam hospitium in gremio matris, cui libet humani generis individuo assignatum, & ab eodem perno-

4

venientes juxta leges physicas occupandum. Ita sese habet ipsius structura ut ampliari præsentia corporis illud subeuntis, & angustari propria virtute queat. Fibrae carneae, membranosae, vasa sanguifera, lymphatica, & nervi, ipsius substantiam component, & ita inter se intrlicantur, ut corpus spongiosum mirèque elasticum efforment. Pars hujus superior est inferiore latior, anterior & posterior sunt leviter planae, latera curvilinea; undè figura ipsi accedit piri depressi & inversi. Quae dimensiones eò inserviunt ut in non gravidis minorem locum obtineat uterus, & in praegnantibus molem in majorem ellipsoideam quae faciliùs assurgere possit. Pendulum & vix fulcitum diceret illud organum, sed omnes abdominis partes ita comparatae videntur ut illud sustinere & ipsi cedere pro re nata debeant. Ossa, cartilaginea, ligamenta, viscera, membranae, muscoli, & tegumenta communia ad id concurrunt. Duo nimirum ossa lata, (innominata audiunt) cum altero (sacrum ipsi nomen) cartilaginibus accuratè conjuncta, quamdam pelvis speciem constituunt, cujus pars superior est amplior, inferior verò in angustiore definit; linea circularis prominens majorem à minori separat. Innominata tribus partibus componuntur, quarum postica & latior dicitur ilium, anterior pubis, & infima ischium; sacrum retrò ponitur, apice inferiori & incurvo donatur, qui coccyx nuncupatur, & pelvim inferiorem situ proprio coarctat. Utriusque pelvis diameter major ab ilio ad aliud, idest, ab uno latere corporis ad alterum dirigitur. In medio fundi hujusce circumvallationis, vesicam inter & intestinum crassius, seu rectum, ita stat uterus ut ipsius latera majori in diametro reperiantur. A singulis lateribus pelvis ad unumquemque uteri limbum appellit expansio membranacea, duplex, lata & paululùm tensa, quae totum hujus visceris corpus involvit & sustinet, ligamentorum latorum nomine cognoscitur; peritonaeum illam suppeditat. Inter horum ligamentorum duplicaturam continentur duo corpora ovata, cellulosa, canalesque duo musculosi; illa tanquam ovaria, seu ovorum receptacula, utero semper ministratura, considerantur; isti verò tanquam ovorum fecundatorum ad cavum in utero positum fidi ductores habentur. Paulò infrà, & à lateribus uteri, duo funiculi teretes, subalbidi, folliculosi & vasculares, protenduntur usque ad inguina, ibique, annulos inguinales prætergressi, desinunt in filamenta gracilia, quae adipe & cute obvoluta mox evanescent; molem uterinam in medio pelvis continere, illamque sustinere vulgò creduntur; indè ligamenta, & à figurâ, rotunda

5

nuncupantur; talem verbò facultatem vix in ipsis adesse animadvertet quicumque illorum structuram mollem & extensilem, nec non situm quem obtinent infra partem uteri majorem & graviolem, præsertim in prægnantibus, considerabit. Nonne potiùs expansioni membranaceæ ligamentorum latorum robur adderent, fibris ipsius, quibus involvuntur, punctum adhærentiæ conciliando inter dua illarum altera adhæisionis puncta? Præter modò descriptos uteri connexus, partem uteri inferiorem, quam collum dicimus, circumplectitur & retinet ductus quidam, seu vagina musculosa & membranacea, quæ ad exteriora ducit. Pars superior, quæ vocatur fundus, est libera. Textus cellularis, admodum laxus, facies anteriorem & posteriorem cum vesicâ & recto alligat. Intestina gracilia fundo supersedent, sed licèt præsentent volumen maximè notandum, uterum leviter tantummodò premunt; tum quia retinentur ope mesenterii, tum quia fluctuant hinc & indè, & sese circa uterum ordinatim disponunt, illumque sustinere amant, præcipuè per graviditatem. Frustrà ab hepatis & lienis pressione aliquid timeres; vel à primâ genesi vincula acceperunt. Incastrum stomachi, aut intestinorum turgescentiæ, musculorum abdominis, & diaphragmatis contractioni, dimotionis cujuscumque causam tribueres; nedùm perturbent situm naturalem, è contrâ ipsi favent, quia scilicet ab illorum actione debitâ pendet æquilibrium inter partes contentas servandum.

Ex hæcenus enumeratis & observatis liquet uterum ampliari non posse partem versùs superiorem sicut & superiorem; tum propter resistentiam circumvallationis ossæ, tum propter ipsiusmet structuram arctiorem, & compressam præsentia recti & vesicæ ferè semper turgidorum; super est ergo ut dilatetur versùs partem superiorem, tum propter pelvis amplitudinem majorem, tum propter ipsiusmet fundum latiore, & præsertim habitâ ratione minoris resistentiæ partium supersedentium.

Qua proportionem increfcit fœtus in cavo uteri, eadem augetur, ponderat, & protuberat moles uterina; in hoc consistit graviditatis status. Fœtus & partes ab ipso pendentes ita disponuntur, ut non magis ex unâ quàm ex alterâ regione ponderent. Aliundè, partes ambientes non magis premunt quàm ante statum prægnationis; intestina sursum & à lateribus secedunt, peritonæum, muscoli abdominales & tegumenta communia, illarum levi & ferè insensibili pulsu mollescere & extendi videntur pro ut sese extollit uterus; indè fit ut juxta axem pelvis, seu

lineam ad perpendicularem magis ac magis accedentem, procedat ipsius incrementum ex lege naturali, quousque pelvim majorem occupet. Quocumque modo deficeret æquilibrium ex aliqua parte modò dictâ, tunc increfcens volumen uterinum ab axe pelvis gradatim recederet, & in ultimo graviditatis gradu adelfet obliquus uteri fitus, qui partui valdè noceret, idest, morbus de quo nunc differere est.

CORPUS quodlibet axi subjectum ab eodem quatuor modis præcipuis recedere potest. Uterum pariter quadruplici modo deviare posse concipitur, scilicet, partem versùs abdominis anteriorem, vel posteriorem, aut alter-utrumque latus. Inter hæc deviationes, aliæ distingui possent mediæ pro ut à præcipuis plus minùsve recedunt; sed cum mediarum Therapeia ad præcipuarum, ad quas magis accedunt, reducatur curationem, de præcipuis duntaxat agemus.

QUIDQUID validius ex unâ parte quàm ex alterâ premet aut attrahet uterum, inclinationis ipsius erit causa genuina; hinc actio inæqualis muscutorum abdominalium, nixus, lapsus, decubitus frequentes & soliti in uno potius quàm in altero latere, protuberantia major vesicæ aut recti, horum deviatio ad aliam potius quàm ad alteram pelvis regionem, schirri, hydropes, sive ovariorum, sive aliarum abdominis partium, prava ossium pelvis conformatio, pondus inæquale uteri sive propter ipsiusmet volumen magis auctum in hoc latere quàm in opposito, sive propter adhærentiam inferiorem & nimis lateralem placentæ, aut hujus nimium pondus in cavo uteri, inter causas fitus obliqui uterinæ molis annumerari debent. Fœtus prava quæcumque positio, dùm non effluerunt aquæ, obliquitatis uterinæ nullatenus esse potest causa, quandoquidem in fluido natans semper requirit æquilibrium; experientia nihilominus probat ejusmodi positionem junctam uterinæ obliquitati non leve nocumentum asferre in partu post undarum effluxum, maximamque asferre complicationem.

IN obliquitate anteriori, fundus uteri ossibus pubis innititur, cervix verò ad sacrum propius accedit, quineriam aliquandò ita sursùm retrahitur ipsius orificium, ut usque ad ultimas vertebrae lumbares admoveatur. Ventrem in hocce casu valdè prominere, latera verò quasi deprimi, & quamdam globuli speciem supra pubem apparere necesse sequitur; abdomen sic prominens vulgò dicitur venter propendulus, cujus varii sunt gradus pro variâ propensione; aliquandò enim usque ad genua

extenditur. Notandum interea deviationem anteriorem existere posse absque ventre propendulo, si deviatio sit minor, aut uteri volumen minus. In deviatione anteriore, orificium uteri difficile, & in majori ipsius gradu nullatenus tangi potest; digitus introduci nequit nisi inflectatur; aquæ sese produnt sub volumine plano & compresso, propter orificii coarctationem; dolores magis ac magis urgent, nec tamen partus advenit, quia pressiones non directè agunt in orificium, sed partem versùs posteriorem uteri; vires tandem exhauriuntur, & fœtus matrisque simul oriretur interitus, ni celer afferretur auxilium. Jam ergo absque morâ, viribus provide, situm concilia idoneum parturienti, ita resupinetur ut pelvis excelsior sit capite, orificii interni labrum extremo indice arripere & ad partem inferiorem anterioremque, quantum poteris, adducere coneris; forsân tali encheiresi, necnon proprio pondere, in parvam pelvim caput fœtus decideret. Uteri orificium non relinquendum, mulier paulatim ad planum inclinatum admovenda ut faciliùs tolerentur dolores, exitusque fœtus sit magis in proclivi; si tamen adhæreret caput ossi sacro, situs alter tentandus esset; femora duntaxat inniterentur angulis duarum sedium, ita ut inter utraque adesset spatium quàm posset maximum, & caput pectusque simul valdè inclinarentur; aut etiam genubus & cubitis incumberet parturiens. Si tandem invitâ sitûs mutatione non progreditur partus, pedes arripere & fœtum extrahere est.

OBLIQUITAS posterior est cæteris minùs communis, propter vertebrarum lumbarium & sacri protuberantiam. Abdomen deprimitur in parte anteriori & mediâ, in lateralibus verò prominet; prægnantes conqueruntur se fœtum moventem non sentire, aut illum versùs tergum pectusve solum moveri; dolores sunt admodum vividi & partibus præcordialibus correspondent; os tincæ figuram crescentis exhibet, ossibus pubis admotum reperitur, & vix tangi potest; fœtus caput contra hæc ossa pellitur & ita premitur ut exindè sequi possit ipsius contritus. Parturientis & prolis periculum in morâ, ni brevè succurrat ars. Nunc prægnans resupinanda ita ut pars inferior trunci sit capite paulò elatior, vesicæ evacuatio provocanda, deindè orificium uteri adducendum, & alterâ manu pars pubis superior leviter premenda, ut dimoveri possit caput fœtus; quod si parvam pelvim ingrediatur, partus secundum morem solitum perficiendus.

LATERALIS obliquitas suam secum fert definitionem, & potest existere vel à dextrâ, vel à sinistrâ. Abdominis in uno po-

tiùsquàm in altero latere prominentia; motuum fœtus in latere protuberanti perceptio, eorundem absentia in opposito, difficilis exploratio orificii interni, hujus positio prope lineam circumlarem pelvis, fundi uterini situs in regione oppositâ, undarum procidentia difficilis, illam designant. Sæpè sæpiùs etiam obliquè sese offert fœtus, aurem, scapulam, brachium exhibet, undæ paulatim effluunt, nec sese antea obtulerant. Ejuſmodi obliquitati mederi potes, si parturiente in latere obliquitati opposito decumbente, femoribus sese decussantibus, os tincæ apprehendas, illud ad statum naturalem revoces, & alterâ manu partem lateralem abdominis protuberantem repellas; tunc faciliùs quàm in aliis obliquitatibus perficitur partus.

QUIDQUID à mediis jam propositis expectandum veniat, eò tamen pervenire possunt obliquitates ut irrita evadant, nec adhuc spes omnis abjicienda. Forceps admoveatur; si non succedat, sedulò perpendendum an vitæ signa in fœtu deficiant, necne. In primo casu, caput ipsius comminuere quoadusquè foras adduci queat; in altero, operationem quæ vel ab utero vitam servavit heroibus non-nullis, interquos vulgò annumeratus fuit Julius-Cæsar Imperator, celebrare non dubitandum.

D'ervilleux *Has Theses, DEO JUVANTE, & Præsidente M STEPHANO-PETRO LELAUMIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur GUILLEMUS-PETRUS FRIGARD, Ebroidensis, in alimâ Universitate Parisiensi Artium liberalium Magister.*

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 164. Octobris, à sesqui secundâ post meridiem ad septimam, anno R. S. H. 1762.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGITERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.